Die xij. Februarij

IN FESTO SANCTÆ HVMBELINÆ Sororis S. P. N. Bernardi Abbatis.

DVPLEX.

Omnia, vt in Communi nec Virg. nec Mart. præter ea, quæ hìc apponuntur propria.

Oratio.

DEvs, in quem ſperat omnis ánima, quæ longè adhuc à te pósita, ſe verè víduam ſentit, ac deſolátam: adéſto nobis, quæſumus, intercedénte beáta Humbelina: vt ſincéra humilitáte tibi ſubiécti, ſic transeámus per bona temporália, vt non amittámus ætérna. Per Dóminum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, & ſi venerit in Quadrageſima, erunt de Communi nec Virg. nec Mart. Mulierem fortem.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

HVmbelína ſancti Patris noſtri Bernárdi ſoror germána, à primis annis in pietáte ſédulò à religioſíſſima matre educáta, non ità eam cóluit, ac ſéculi pompas, ſed certántibus in ipſa cum bonis fortúnæ natúræ dótibus, ſe totam humáno fáſtui, ac cadúcis delícijs addixit. Cum autem aliquándò ſanctum Bernárdum, alióſque fratres ſuos mónachos inuiſéndi, & alloquéndi grátia Claramuállem ſupérbo comitátu, & muliébri mundo exornáta adiiſſet, eidem ſanctus Abbas loqui nóluit, niſi vanitátibus illis reiéctis in modeſtiórem, decentiorémque formam ſeſe compóneret. Quamóbrem íllicò corde compúncta, & in aliam mutáta, ſanctórum fratrum, & præcípuè Bernárdi mónitis ac consilijs, ſolutióri vita relícta, religioſiórem aggréſſa eſt, reuérſaque ad própria per biénnium ſimul cum cóniuge piam vitam inſtituit.

℟. Propter veritátem &c.

Lectio v.

EXpléto biénnio de eiúſdem cóniugis conſénſu ſéculo valedíxit, & ſecédens in vicínum Monaſtérium vírginum Benedictinátum, Iuléyum dictum, Deo ſe ſuáque conſecráuit. Aſsúmpto ítaque ſacro religiónis hábitu, & emiſſis ſolémnibus votis, cæteris ómnibus ſanctimoniálibus tanquàm reguláris perfectiónis exémplar prælúxit, & matris, ac fratrum dignam ſeſe filiam ac ſorórem comprobáuit. Dies noctéſque in iugi pſalmórum lectióne, & aſsídua Chriſti Dómini cruciátuum mortíſque meditatióne inſumébat, humíque paulíſpèr noctu decumbébat, vt córporis fatigáti vires pro neceſſitáte reparáret. Cilícium, quod ad carnem geſtábat, mínimè deponébat, & in dies chariſmata melióra æmuláta Angélicam per ómnia vitam in carne ducébat. Dénique grauiſſimum in morbum íncidit, & aduocáto ſancto Patre Bernárdo, aliiſque frátribus Eccléſiæ Sacraméntis réfici vóluit.

℟. Dilexíſti iuſtitiam &c.

Le-

Lectio vj.

CVm autem hora exitus illius imminéret, Angelus Dómini mortuórum tábulam pulſáuit. Et iam cuncti lectum circumſtábant, cum Humbelina ſerénis adhùc óculis, & vultu íntegro, ſingulos reſpíciens, ſíngulos ſalútans, lætáta ſum, inquit, in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Dómini íbimus; ſicque piè & ſanctè obdormíuit in Dómino. Tunc ſuauíſſimo odóre, & cœléſti luce illius cella repléta eſt, plúraque ália ſigna perénnis eius in cœlo glóriæ oſtéuſa ſunt. Eiúſdem corpus in Iuléij Aſcetério, quod diútiùs tanquàm Præfécta ſanctíſſimè réxerat, ſepultúræ tráditum eſt, celebránte beáto Bernárdo fúneris officium, inter congaudéntem, & lacrymántem, ſed præualénte gáudio, máximè cum glorióſa illi appáruit mira claritáte, & pretióſis véſtibus decoráta, grátulans de beatitáte, quam ipſius hortátu promerúerat. Eius feſtum celebrátur in ómnibus Hiſpániæ cœnóbijs, tanquam de Patróna Sanctimoniálium Ordínis Ciſterciénſis.

℞. Fallax grátia &c.

In tertio Nocturno, Homilia S. P. N. Bernardi Abbatis in Euangel. Símile eſt regnum cœlórum theſáuro. *vt in feſto Sanctæ Heduuigis Reginæ Poloniæ die 17. Octobris.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

SAcra Rituum Congregatio, ſupplicante, & referente Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Cardinale Gabriellio, approbauit Officium proprium ſuprà deſcriptum Sanctæ Humbelinæ Viduæ, benigneque indulſit omnibus, & ſingulis Monachis vtriuſque ſexus totius Ordinis Ciſtercienſis, vt licitè poſſint celebrare Feſtum, & recitare ſub Ritu Duplici die duodecima Februarij prædictum Officium proprium Sanctæ Humbelinæ, illudque imprimi poſſe conceſſit, non ſolùm ſecundùm Ritum Breuiarij Monaſtici, ſed etiam ſecundùm Ritum Breuiarij Romani pro Sanctimonialibus Ciſtercienſibus vtentibus eodem Breuiario Romano. Hac die prima Septembris 1703.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congreg. Secr.

ROMÆ, MDCCIV.

Typis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Lectio vj.

CVm autem hora exitus illíus inminéret, Angelus Dómini mortuórum tábulam pulſáuit. Et iam cuncti lectum circumſtábant, cum Humbelina ſerénis adhùc óculis, & vultu íntegro, ſingulos reſpiciens, ſingulos ſalútans, lætáta ſum, inquit, in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Dómini ibimus; ſicque piè & ſanctè obdormíuit in Dómino. Tunc ſuauíſſimo odóre, & cœléſti luce illíus cella repléta eſt, plúraque ália ſigna perénnis eius in cœlo glóriæ oſtenſa ſunt. Eiúſdem corpus in Iuléij Aſcetério, quod diútiùs tanquàm Præfécta ſanctíſſimè réxerat, ſepultúræ tráditum eſt, celebránte beáto Bernárdo fúneris offícium, inter congaudéntem, & lacrymántem, ſed præualénte gáudio, máximè cum glorióſa illi appáruit mira claritáte, & pretióſis veſtibus decoráta, grátulans de beatitáte, quam ipſius hortátu promerúerat. Eius feſtum celebrátur in ómnibus Hiſpániæ cœnóbijs, tanquam de Patróna Sanctimoniálium Ordínis Ciſterciénſis.

℟. Fallax grátia &c.

In tertio Nocturno, Homilia S.P.N. Bernardi Abbatis in Euangel. Símile eſt regnum cœlórum theſáuro. *vt in feſto Sanctæ Heduuigis Reginæ Poloniæ die 17. Octobris.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

SAcra Rituum Congregatio, ſupplicante, & referente Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Cardinale Gabriellio, approbauit Officium proprium ſuprà deſcriptum Sanctæ Humbelinæ Viduæ, benigneque indulſit omnibus, & ſingulis Monachis vtriuſque ſexus totius Ordinis Ciſtercienſis, vt licitè poſſint celebrare Feſtum, & recitare ſub Ritu Duplici die duodecima Februarij prædictum Officium proprium Sanctæ Humbelinæ, illudque imprimi poſſe conceſſit, non ſolùm ſecundùm Ritum Breuiarij Monaſtici, ſed etiam ſecundùm Ritum Breuiarij Romani pro Sanctimonialibus Ciſtercienſibus vtentibus eodem Breuiario Romano. Hac die prima Septembris 1703.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congreg. Secr.

ROMÆ, MDCCIV.
Typis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.

Superiorum permiſſu.